

f. 4. Reg. 23. 32. 33. & 24. 9. 19. & 2. Par. 34. 5. 9. 12.

nere occubuit, unâque cum illo eodemque in tumulo Religio sepulta. Nati enim ex illo filii rerum positi, effuso in Idolatriam cursu proruerunt (f); adjectis etiam ad malorum cumulorum impotentissimâ licentię criminibus, quibus ut à Deo manibus Regum Chaldaeorum permitterentur, veluti extorserunt. Horrorem ingerunt quæ de malis ejus Regni apud Jeremiam & Ezechielem leguntur. Author 2. Par. 36. 14. &c. omnium illorum veluti summam complexus, narrat, Principes Sacerdotum unâ cum Populo universo totam Idolatriæ eluvionem in Judam deduxisse; violatam ab illis Templi Domini religionem, ludibrio habitos à Deo missos Prophetas; ac tandem eum ad malorum complementum venissent, hostium manibus à Deo permitti, ipsi in captivitatem, Regio in desolationem, redacta sunt.

Hæ religionis vices in Juda post initium à Salomone Regnum usque ad eversionem Urbis, & populi captivitatem sub Nabuchodonosore. Cum autem ultra eam ætatem duodecim Prophetæ minores, quibus in hac Dissertatione nostrâ servimus, non transcenderint, eos limites excedendos non duximas, toti dissertationi modum hic imponentes. Nonnulla modò de Regno Israel, sive decem Tribuum, proferamus in medium.

REGNUM ISRAEL SIVE DECEM TRIBUUM.

Majora semper Religionis commoda in Regno Juda, quam in ditione Israel fuisse, nemini ignotum esse arbitror. In Juda Urbs sancta & Templum Domini constitutum; ibi Sacerdotes è genere Aaron spectabantur, viri amplissimi, docendis atque in officio continendis populis non genio tantum & munere, sed etiam proprii compendii gratiâ studiosissimi. Seriem etiam Regum piissimorum Juda spectavit in Afa, Amasia, Ozia, Joathan, Joas, Ezechia, Josia. Nihil tale in Israel, ubi proinde major licentia longè latèque propagata. Seducendis populis Sacerdotes omnium primi intendebant; Reges impietati indulgentes, eò magis in superstitione confirmabantur, quò commodis suis servire illam magis credebant. Miremurne igitur, si licentia in Regno corruptissimo ad eò inva- luerit?

Jeroboam filius Nabat, primus Imperii Author, vir erat, si quis alius, ambitiosus, qui defectionis in suum Regem se Principem constituens, autamavit partum crimine Regnum non nisi crimine servari potuisse. Metuens enim, ne occasione Solemnium Domini Jerosolymam repetens populus, caeremoniis & Religione allectus, adhortationibus & minis Prophetarum persuasus territusque, vel saltem pristino in Reges Juda amore victus, desertis tandem defectionis partibus in pristinam fidem transiret; omne commercium inter duo Regna dirempturus, novo cultu invento, novam Regno suo religionem constituit, cujus pondere instabilis Israelitarum indoles firmaretur.

Sed vir politicæ scientiæ peritissimus, optimum factu censuit, si inter utrumque extremum medio quodam temperamento uteretur. Norat enim fieri vix posse, ut ex uno in alterum extremum, maximè cum de Religione agitur, transiretur, absque eo quòd ingentis discriminis alea subeunda fuisset. Quare integrum reliquit populis ditionis suæ omnibus, ut leges judiciales & caeremoniales plures retinerent. Quin nec Sacrificia, nec religiosa convivia, solemnia Domini, cœtus Religionis aboliti [g]; his enim minimè arduis religionis exercitiis populi genius indulget. Quicunque ex Sacerdotibus & Levitis avitam Religionem veteresque ritus deserere maluissent, illi in obsequium vitulorum aureorum retenti sunt (h). Ceteri omnes facessere jussi (i), quanquam nihil gravius statutum est cum Israelitis, qui patriis ritibus inherentes, novum ritum priori abjecto adoptare recusarunt. Horum pars in ditionem Juda sese recepit (k), pars verò in Israele mansit.

Ita univèrsam decem Tribuum Regnum ex tribus populorum generibus constituisse visum est. Nimirum ex optimis Israelitis, quorum facillè Principes habendi sunt Elifeus, Elias, Osee, Amos, Jonas, Tobias, Abdias Oeconomus Regis Achab, vir mulieris Sunamitidis, alique nonnulli, qui exemplis & instructionibus Prophetarum in officio & fide continebantur; nihilque habebant commune cum schismate; & si quando permisa ipsis facultas, Jerosolymam adoraturi veniebant; cœtus Prophetarum frequentabant, fidei depositum, sicut & morum sanctimoniam, religiosè custodiebant; nihilque sibi à Lege Domini interdictum ceu permillum indulgebant. Uno verbo, animæ erant à ceteris, tanquam portio electa Domini, segregata, quæ non cur vaverant genua sua ante Baal [l]. Sub Achab, cum scilicet in summum malorum ventum esset, vetitum singulis ne aliam, quam Paganorum Religionem profiterentur, violentà ad eò persecutione in veri Dei cultores commotà, ut Elias unum se ex omnibus superesse, qui furorem Jezebel evitasset, arbitraretur (m); quamquam adhuc 7000. reliqua erant, eorum qui nullam sibi cum Idolis partem voluerunt.

Sequuntur post illos Israelitæ imbecilles, qui cum non satis vitium habere se noscent, ut pravis gentiliū suorum moribus Regisque jussionibus & authoritati resisterent, pietatis scintillam quamdam erga Legem, Deique cultum ceteroqui intimo corde foventes, id sibi permillum esse arbitrati sunt, ut simulatione quadam usi, veri Dei religionem cum superstitione aurei vituli juncto simul fœdere conciliarent; quorum proinde cultus impurus erat, & quâdam sui parte supersticiosus. Frequentabant illi non sine oblationibus Urbem Bethel, prophanis Numinibus sacram; nec deserebant montium crepidines cultui veri Domini dedicatas. Verùm illis jure meritoque ab Elia exprobratum est (n): Claudicatis in duas partes. Jurabant in verba Jehovab simul & Baal sive Moloch (o). Ad

g Vide Amos 2. 11. 12. & 4. 4. 5. & 5. 21. 23. & 8. 3. 5. 10. h Vide Ezech. 44. 10. 11. 13. Reg. 13. 33. Fecit de novissimis populi Sacerdotes excellens &c. Vide & 12. 31. & 2. Par. 11. 13. 14. 15. & 13. 9. k 2. Par. 24. 16. l 13. Reg. 19. 18. m 3. Reg. 19. 10. 18. 22. n 3. Reg. 18. 21. o Ad

o Sophon. 1. 5. p Osee. 2. 5. 6. 14. 15.

q Ezech. 16. 42. Requiescet indignatio mea in te, & auferetur zelus meus à te, & quiescam, nec irascar amplius.

(o). Ad illos Prophetarum ming & verborum castigationes potissimum directæ sunt; qui inter Domini cultum & Baal mediū versabantur. Habebantur enim tanquam palantes oves, quas summus pastor suâ curâ non indignos censebat, & veluti conjux, quæ thori fidem minùs sanctè custodisset, cui tamen reduci Sponsus indulgendum statuerat, perpetuo divortio removere non sustinens [p].

Tertiam tandem Israelitarum classem constituebant authores fautoresque schismatis, Pseudo-Prophetæ, impii Sacerdotes, qui parum sibi ducentes si publicum cultum vitulis, & Baal impendissent, illud etiam sibi negocium suscipiebant, ut unâ secum simpliciores quosque in errorem tum pravo exemplo cum molliori quadam & indignâ indulgentiâ pertraherent. Horum numerus facillè ceteris in Israele præstabat, nec scelere erant inferiores; quo etiam atque etiam crescente, id tandem effecerunt, ut Deum ad populum suum deserendum inducerent, veluti indignum ut providentiæ consilii regeatur; dignum verò ut severissimæ ultionis exemplum tandem exhiberetur (q).

Crimen huius populi in cultu vitulorum nullâ potest causatione leniri. Non enim alterum populo suo Numen Jeroboamus proposuit, quàm quod Aaron in deserto consecraverat; utrumque verò cultum Apidis celebratissimi Egyptiorum Numinis innovabat. Ex diuturnâ in Egypto mora didicisse cultum illum Jeroboamus poterat, quemadmodum è simili cum Egyptiis consuetudine, Israelitæ impium cultum adseverant.

Frustra proinde Monæus de Vitulo Aur. & Grotius crimen Jeroboami mitigare vel excusare leni quadam interpretatione conantur. Horum primus contendit, consecratos à Rege vitulos figuram exhibuisse Cherubim Arce impostorum; ratus proinde, Israelitas coram aureis vitulis cultum vero Deo intendisse; certumque constituit, Cherubim bovis figuram vel solam vel saltem ceterarum potissimum exhibuisse. Reum proinde Jeroboamum damnat schismatis, ab Idololatria verò excusat. Hæc autem pro illo adducit. Qui fieri potuisset, inquit, ut populus avitis moribus pertinaciter inherens, illis subitò derelictis, statim se à cultu Domini ad Idola converteret? Qui jubenti Regi in re tam ardua promptè ad eò paruisset? Nonne de Regno suo periclitaturus videtur Jeroboam, si contra veteres Leges moreque aliquid sanciturus à populo crederetur? Non defuerunt in Regno Israel nec infrequentes Prophetæ Domini, & viri quique religiosi, quos non nisi temerè Idololatrię, sicut etiam servatæ cum viris impiis & Idololatrię pacis & comunions, accusaremus. Quis unquam Prophetarum auroreum vitulorum cultum Idololatrię accufavit? Cum Elias insigni illo prodigio collectos in monte Carmelo populos dicto obediētes habuisset, non recusare cultum vitulorum auroreum coegit; vitio illis vertit tantummodo, quòd inter Deum & Baal

claudicarent; si enim, ait, Deus id sibi nomen non injuriâ adseverat; cur Baal sequimini? si Baal Deus est, cur ergo unâ cum illo Dominum colitis? Profecò si tertium fuisset Numen, non siluisset eâ occasione Propheta; neque se continuisset quin ejus cultum exprobraret. Hæc potissima Authoris momenta.

Grotio alia sedet minùs etiam probanda opinio (r). Jeroboamus è Tribu Ephraim originem ducens, gentis suæ authorem habebat Josephum Patriarcham; quare ut gentilibus fratribusque suis eò majorem de tanto viro opinionem ingereret, sibi verò non temporarium Regnum pararet, proponendum Israelitis cultum suscepit, sub ea planè figura, qua olim Egyptii colendum Josephum Patriarcham, acceptorum ab illo beneficiorum merito, sibi statuerant. Egyptiis enim effigere vitri simulacrum sub aspectu bovis & Serapidis succurrit. Quare uno eodemque simulacro Jeroboam & Patriarcham suum commendare, simulque veri Numinis memoriam cultumque Israelitis exhibendum censuit.

Non dissimili ratione Imperatores Romani omni datâ occasione, gloriam Aeneæ Trojani promovendam sibi ducebant, veluti Principis illustri divinique generis à Deo ad Imperium Italię, ac Regnum Mundi in persona posterorum suorum gerendum destinati (s).

Nasctur pulchrâ Trojanus origine Caesar, Imperium Oceano, famam qui terminet abris.

Sed quanta, rogo, falsa, quanta incerta in hoc magni viri systemate. Res est dubia prorsus & incerta, quin etiam & falsa, quod ille certum constituit, nimirum Egyptios sub Serapidis figura cultum Josepho impendisse. Numen illud inter vetera Egyptiorum habendam esse non satis constat (t). Fac autem constaret; quâ satis firmâ conjecturâ ad Josephum pertinere probaretur? Fac etiam probaretur; Serapidis figuram vitulum exhibuisse quis docet? Aliud sanè ejus Numinis simulacrum depingit Macrobius Sat. 1. 2. c. 20. monstrum exhibens triceps, cui emicantem leonis rictum hinc inde ad latera fulciunt caninum caput ad dexterum, & lupi ad sinistrum; totum verò reliquum simulacrum ingentibus spiris completitur anguis, cuius caput ad dextrum figuræ latus appareret. Quid simile in aureis vitulis Jeroboami?

Monæus etiam rem maximè ambiguum tanquam certam constituit, Cherubim nempe in bovem expressos. Nihil, inquam, magis incertum, nihil, si mavis, fabulosius; quam enim figuram potissimum Cherubim exhiberent, nemini notum esse arbitror; illudque generatim constituendum, vagam fuisse illorum figuram pro variâ diversorum ideâ, qui ejus generis simulacra excudenta susceperunt. Quando autem daremus Monæo, vitulinum aliquid Cherubim exhibuisse; quis virum docuit, vitulos aureos Jeroboami Cherubim Templi expressis?

r In 3. Reg. 12. Vide Es-penc. Dissert. 5. de orig. Arce.

s Encid. 1.

t Vide Tacit. hist. 1. 4.

sisse? An unquam Scriptura hosce Jeroboami vitulos Cherubim nomine vocavit? Norantne Rex ejusque Opifices veram Cherubim Templi figuram, quam nemo ex populo & ex Sacerdotibus vidisse unquam potuit?

Quando verò hæc omnia fateremur; an proinde cultus ille à superstitione immunis haberi potuisset? Numquam enim Deus supremum cultum Cherubim impendendum concessit, quos alioqui generalis de non impendendo figuris & imaginibus cultu cautio non excluderet? At enim cultus ille non intra figuræ limites continebatur, sed ad verum Deum transibat. Hæc dubia alioqui, tanquam certa semper constituuntur; quin & Deus nunquam id commisit, ut sub sensibilibus imaginum figurâ coleretur: quippe qui imagines simul omnes & simulacra interdixit. Cum aureum vitulum Aaron conflavit, id tanquam injuriosum Deo atque idololatriam Moyses castigavit [u].

Quod autem Propheta & religiosi quique in Israele versantes cultum illum probaverint, uno tantum Baal damnato, non nisi per summam impudentiam assereretur, neque enim probasse illum, sed quacumque datâ occasione damnasse credendi sunt. An Eliam unquam, Eliseum, Osee, Amos thura illis adolevisse memoriæ proditum est? Quantâ verborum contentione Propheta Domini è Jerusaleme in Bethel missus ipsâ dedicationis eorumdem vitulorum die in impium cultum invectus est? Propheta è Bethel, qui alium è Juda venientem fecellit, nunquam coram vitulis prostratus legitur (x); neque enim, si forte eandem religionem probasset, cum dedicationis ceremonia ageretur domi se continuisset. Sed Osee cap. 8. 4. 5. 13. in eosdem vitulos invectum audiamus: Argentum suum & aurum suum fecerunt sibi Idola, ut interirent. Profectus est vitulus tuus, Samaria, iratus est furor meus in eos. . . . Hostias offerent, immolabant carnes, & Dominus non suscipiet eas. Et cap. 10. 5. 8. Vaccas Bethaven. (i. e. domus iniquitatis, quo nomine probri gratiâ Bethel appellat) coluerunt habitatores Samaria. Luxit super eum populus ejus, & aditui ejus, quia migravit ab eo. Siquidem & ipse in Asbur delatus est, munus Regi ultori. Tandem cap. 8. 6. redigendum minatur in arnearum telas vitulum Samaria.

Propheta Amos in Bethel se conferens, Dei verbis annuntiavit (*): Demolientur excelsa Idoli, & sanctificationes Israel desolabuntur, & consurgam super Domum Jeroboam in gladio. Non raro Sacra Scriptura vitio vertit Jeroboamo, quod peccatum in Israele induxerit; non raro exprobrat impiis Principibus, quod impia Jeroboami vestigia legerint.

Fateamur ergo oportet, cultum aureorum vitulorum meram putamque Idololatriam reputandum fuisse; neque schismatis tantum sed etiam Idololatriæ decem Tribus damnandas. Regis quidem jussiones ac pœnæ in transgressores inductæ leniendo illorum crimini aliquid valuissent; sed nullâ sanè causatione vindicamur, cum de paren-

do divinis jussionibus agit.

Idem planè spiritus, qui Jeroboamum ad cultum vitulorum aureorum instar Apidis Ægyptii perduxit, animavit etiam, ut alterum planè Numen, nempe hircum, consecraret. Qui constituit, ait Author 2. Par. 11. 15. sibi Sacerdotes excelsum & Damnorum [Hebraicè hircorum] vitulorumque, quos fecerat. Extulit ille omnia Numina quæ olim Hebræi nequidquam vè tante Moysè in deserto consecraverant (y); quâ occasione impias omnes salacesque ejus cultus appendices, quas prophani Scriptores (z) Mendesis populis Ægypti hircum colentibus exprobrant, induxisse Regem ne ambigimus quidem.

Verum ad historiam regrediamur. Jeroboamus semel ab avita Religione Israelitis abductis, & ad cultum vitulorum traductis, nihil sibi deinceps curandum esse censuit, ut magnopere Religionis rescuraret; eo solo contentus, si ab Urbe Metropoli adeunda se continuisent. Cum enim Religionis negotium perindè ac politicam tantummodò rem haberet, ratusque eo vinculo nihil ultra præstari, quàm ut populi mutuo adstringerentur, eò firmius Regnum paraturum se credidit, quò magis magisque à Religione Juda Israelitas alienaret; eodemque conatu ambos illos populos inter se divelleret, quò magis Israelitas superstitionibus implicaret. Quare è re sua esse duxit, si proprio illos relinqueret arbitrio; qua datâ vià universa editorum colliam, lucorum, Altarium &c. colluvies in totam latè ditionem perripit, levioris ingenii populo ad Religionem arbitrariam sine delectu & vecordem convolante [a].

Itaque non Bethel tantum & Dan, Urbes vitulorum aureorum religione insignes, sed & Galgala, Carmelus, Thabor, Masphè in transjordanis, & Sichem frequentari capere sunt. Uno verbo; nullas fuit locus claro aliquo Patriarcharum gesto, morâ, sivè erecto ab illis Altari insignis, quem peregrinationibus & religionibus Israelitæ non obirent. Exceptos tamen semper ab eo numero voluerim Prophetas, virosque religiosos, depositum Fidei & Religionis à patribus suis acceptum sanctè custodientes.

Quod autem à Jeroboamo illatum est Religioni vulnus, nunquam convaluit. Nadab, qui proximè ab illo Regnum suscepit; decessoris sui vestigia religiosissimè legit, cujus nimis fidelitatis merito illud à Deo impetravit, ut ipse manibus hostium permitteretur, universaque Jeroboami domus ultimâ desolatione exterminaretur [*]. Basa secundus à Jeroboamo, non paria tantum, sed & iniquiora præstitit (b), cum ab eo neci traditus Propheta Jehu, ultionem Domini Regi minitatus, legatur (c). Qui post illum regnarunt Principes, omnes æquè impii, non Regum potius, quàm Tyrannorum seriem perpetuarunt. Inter nequam tamen Reges nequissimus Amri id sibi elogium vindicavit: Operatus est nequiter, super omnes, qui fuerunt ante eum (d).

y Levit. 17. 7. Nequaquam ultra immolabunt hostias suas Damonibus (Hebr. Hircis) cum quibus fornicati sunt. z Herod. 1. 2. c. 46.

a 3. Reg. 13. 32. 33. & 14. 9. Operatus es malum super omnes, qui fuerunt ante te, & fecisti tibi Deos alienos & conflavit &c.

* 3. Reg. 15. 29. b Ibid. ver. 34. & 16. 2. c Ibid. 16. 7.

d Ibid. 16. 25.

Lon-

e Ibid. 16. 31. 32. 33.

f 3. Reg. 18. 22. & 19. 10. g 3. Reg. 18. 4.

h Ibid. cap. 18.

i 3. Reg. 22. 54.

k 4. Reg. 3. 2.

l 4. Reg. 4. 22. 23.

Longè tamen impium parentem posthabuit impiissimus Achab, à quo ducta Jezabel filia Regis Tyri, invecus publicus & solemnis Baal Numinis Sidoniorum cultus (e). Sub eo Rege suscitatur à Domino Elias, inter studiosissimos æquè ac clarissimos veteris Testamenti Prophetas recensendus, qui impiis ausis Achabi, & Jezabelis adversum sese opposuit, atque inter medias furentis Regis, & Reginae persecutiones ac insidias non sine Divino prodigio illæsus servatus est. Eâ atate adeo licentia latè pervaserat, & tam alta Dei oblivio mentes Israelitarum cœpisse videbatur, ut ne residuum quidem Prophetam aliquem Domini supersesse Elias autumaret (f). Jezabel pro viribus omnes perdendos enecandosque susceperat (g): qui ejus furorem evaserant, in cavernis montium delitescere coacti sunt. Constituti vicissim à Regina 450. Pseudo-Propheta Baal, & 400. Prophete lucorum, quos Regio cibo pascibat, iidemque administris cultui publico detinendo utebatur.

Eo pariter Rege, illustre illud factum, quo ab Elia assera Religionis sua veritas contra Prophetas & Sacerdotes Baal, exhibitum est. Deductus enim è Celo ignis Holocaustum antea Sacerdotes Baal, implorato ejusdem Baal Numine (h). Historia Naboth, injustâ sententiâ, agente Jezabele, damnati, satis demonstrat, quousque religionis & justitiæ oblivio mentes Israelitarum teneret. Hæc tandem ad perpetuam rei memoriam de Achabo literis mandata leguntur 3. Reg. 21. 1. 24. Non fuit alter talis sicut Achab, qui venundatus est, ut faceret malum in conspectu Domini: concitavit enim eum Jezabel uxor sua, & abominabilis factus est in tantum, ut sequeretur Idola, quæ fecerunt Amorrbæi, quos consumpsit Dominus à facie filiorum Israel. Regni & criminum successorem Ochoziam reliquit (i); quo regnante cultus pariter Baal regnavit; colles & edita queque loca, sicut & Altaria superstitiosa in Israele obtinebant.

Joram, qui post Ochoziam regnavit, posttratas Religionis res aliquantum restituit; Regnum enim nactus, in quo, contempto fermè Deo, omnia ad arbitrium Principis, non politica tantum sed & religiosa gerebantur, humanis potius, quàm Dei jussionibus morigeros sese præbentibus Israelitis, cultum Baal vel penitus abolevit, vel plurimum repressit (k). Statuas Phœnicii ejus Numinis subvertit, solo retento aureorum vitulorum cultu, quem Jeroboam filius Nabat invexerat. Ea erat illorum temporum conditio, ut in partem religionis haberetur, sceleribus se totum non addixisset, & laudis erat non modicæ pro Rege Israelis, si repressa ab illo aliquantum enormis licentia diceretur.

Religiosi apud Prophetas cœtus sub Joram frequentati sunt, quos potissimum diebus Sabbati & Neomeniarum adibant; quare mulier Sumamitis volens Prophetam die festo adire, audivit à viro suo [l]: Quam ob causam vadis ad eum? hoc die non sunt Calendæ neque Sabbatum. Le-

guntur etiam Prophetarum classes, ministrarum suum velut in tranquillo pacis exercentes, & in communi tanquam religiosam vitam professi degentes (m). Joram summè Eliseum observabat, & vicissim ipse à Propheta, quippè qui sine controversa Princeps esset omnibus, quotquot unquam in Israele regnaverant, minis iniquus. Pietate enim & timore Domini instructus, cilicio super nudum induebatur, cujus rei in obsidione Samariæ per Syros populus universus testis fuit (n). Delectabatur etiam audiendis iis quæ Dominus per Eliseum patraverat (o); quibus tamen omnibus ne quidquam obtantibus, eodem cum universâ Domo Achab excidio, juxta Prophetarum vaticinium, implicitus est; neci enim à Jehu traditus, in agrum Nabot, quem olim Achab per summam injuriam usurpaverat, projectus est.

Proscriptum antea per Joram Baalis in tota ditione Israel cultum, Jehu penitus deinde subvertit (p). Cum enim Joram mali radices evellere nequidquam tentasset, quòd Jezabele in vivis agente, vivere adhuc impium cultum necesse esset; Jehu à Deo missus excindendæ familiæ Achab, post truncatos omnes ejus Regis filios, in unum coactos Sacerdotes omnes & Prophetas Baal, specie quasi de augendo Numinis cultu acturus, re tamen in fano ejusdem Numinis clausos enecavit. Tam abolitum Templum, everfa Idola, locisque Religioni consecratis in sentinam translatus est (q). Ita cultus Baal in Israele ad tempus cessavit.

Sed vitulorum aureorum religioni nihil à Jehu detractum (r); quasi religioni duceret, in veterem regionis cultum ab ipso Jeroboamo Filio Nabat Imperii auctore constitutum manum injicere. Quam Jehu cautionem ceteri, qui post ipsum regnarunt, servatam sanctè voluerunt. Et sub Joachaz omnium eorum primùm excelsa Bethel & Dan frequentabantur, lucus etiam Idolis consecratus Samariæ memoratur (s); qua fac'le conjecturâ intelligimus, cultum Baal & Astaroth ab eodem Principe toleratum. Joas filius Joachaz Eliseum observavit, à quo tribus victoriis fracturum se Reges Syriæ oraculo intellexit (t). Plus tamen apud illum pravæ majorum suorum exempla valuerunt, ut cultum vitulorum aureorum detineret.

Regnum Jeroboami II. non uno rei geste monumento celebratur. Sub eo Rege Prophetarum nonnulli egerunt, è quorum scriptis nostrâ atate extantibus intelligimus, felicissimum, quantum aliis decessorum nullus, Regnum Principem illum habuisse. Pluribus victoris hostibus suis fractis, fines Imperii sui longè latèque prorogavit. Verùm opulentiâ, otium & pax corruptionem, quemadmodum frequenter accidisse spectamus, in Regnum Israeliticum induxit. Accessit vitæ mollietis, luxus, & injustitia (u); quamquam post sublatum à Jehu Templum & Sacerdotes Baal, nunquam in Israele inductus ejus Numinis cultus legitur. Illud etiam animadversione dignum duco, plura sub eo Rege à Lege Dei pre-

m 4. Reg. 4. 38. & 6. 1.

n 4. Reg. 6. 30.

o 4. Reg. 8. 4. 5.

p 4. Reg. 3. 2.

q 4. Reg. 10. 19. 20. 21. &c. 28. r 4. Reg. 16. 29. 30. 31.

s 4. Reg. 13. 2. 6.

t 4. Reg. 13. 14. 15.

u Amos 2. 6. 7. &c. & 3. 9. 10. 14. 15. & 6. 4. 5. 6. 7. & 8. 4. 5.

Kkkk scri-

Disser. Calmet. Tom. I.